
tum

3 2044 107 247 397

MH
243
B47



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dissertatioinaug1725biel

3 2

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MANNA

ET SPECIATIM

DE SECVRO AC PROFICVO EIVS VSV IN VARIOLIS CONFLVENTIBVS

AD IMMINVENDAM ET TOLLENDAM FEBREM MATVRATIONIS TEMPORE ORIVNDAM

QVAM EX DECRETO

GRATIOSI IN ALMA IVLIA ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. DOCTORE ANATOM. PHYSIOLOG. AC CHIRVRG. P. P. CELEBERRIMO

H. T. DECANO

PRO DOCTORALI DIGNITATE

HVIVSQVE PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS

IN IVLEO MAIORI

DIE AVGVST. MDCCXXV

HORIS ANTE- ET POMERIDIANIS

PVBLICO EXAMINI SVBMITTET

IVLIVS BIELITZ

DROSNENSIS NEO-MARCHICVS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

XXXVI

LXIII.

PRÆLOQVIVM

Maiorem in medica praxi adferat utilitatem, ſi frequenter conſideramus maxime uſitata & ubivis obvia remedia, quorum uſus iam a multis eſt probatus, an ſi inquiſitioni atque examini ſubiicimus rariora & exotica, nondum ſatis perſpecta, prolixius diſputare nunc haud expedit. Non quidem me latet, multos magni nominis viros exoticis potiſſimum delectari & de rarioribus medicamentis magis eſſe ſolicitos, quam de obviis & antiquo uſu cognitis, illaque prae his peculiari meditatione digna iudicare. Verum dantur quoque alii non minoris famæ atque eruditionis medici, qui doctas ſuas meditationes maluerunt impendere in ſatis cognita, in officinas pharmaceuticas recepta, & longo uſu probata, ut, repetita illorum conſideratione atque exploratione, iſtorum utilitas magis magisque detegatur & confirmetur, inprimis quando ſecura ſunt & peculiarem quendam effectum, qui a paucis eſt obſervatus, ex uſu alicuius medicamenti notarunt. Mihi itaque nemo vertet vitio, quod loco speciminis inauguralis *de Manna* brevibus diſſerere & nonnullas theſes de ea conſignare conſtituerim. Quamvis enim in noſtris regionibus Manna non pro-

veniat nec colligatur, ſed pro exotico medicamento habeatur, maxime tamen cognitum ac in omnibus pharmacopoliis obvium eſt remedium, quod Medicis & vulgo in frequentiſſimo uſu. Quamvis etiam iam dudum variae de Manna conſcripti ſint tractatus a) atque diſſertationes, b) ut actum agere videri poſſem, occurrunt tamen in praeſenti diſſertatione quaedam ex recentioribus obſervationibus deſumta, quae forte in olim editis ſcriptis non reperiuntur. Quis enim, ut exemplum adferam, unquam in aliqua diſſertatione de Manna fecit mentionem feliciſſimi iſtius uſus in variolis confluentibus, qui nunc per experientiam innotuit? Non igitur plane fruſtraneus erit labor meus, ſi de huius virtute ac utendi modo quaedam proferre ſuſcipiam, illum praecipue in finem, ut praeter alios uſus, ſuo loco breviter enumerandos, ſecurum & valde proficuum iſtius uſum in periculoſiſſimo illo morbo, variolis ſcilicet confluentibus, commendare queam. Agam itaque prius de Mannae origine, qualitatibus, praeparatis, praeſcribendi ac utendi modo in diverſis affectibus: poſtea producam tutum, proficuum & ſalutarem eius uſum in variolis, ac praeſertim ad infrigendam & tollendam febris illius peſſimae vehementiam, quae in confluentibus, maturationis tempore invadere, aegrosque graviſſime affligere ſolet. Faxit autem ſummus Archiater, ut omnia cedant in proximi ſalutem!

I. Man-

a) Vt *Altomarus* de Mannae differentiis in Opp. Venet. 1600. *Magnenus* de Manna, Ticini & Amſtel. 1658 *Deuſingius* de Manna, Groning. 1659. *Salmaſius* de Manna, Pariſ. 1663. aliique.

b) *Poſnerus* de Manna, Ienae 1677. *Maius*, Gieſſae 1706.

I.

MAnna officinarum eſt ſuccus pinguis, ex albo flaveſcens, menſibus aeſtivis ex foliis, ramis & trunco fraxini ac orni (id eſt fraxini ſylveſtris) in Calabria praeſertim, ſponte aut prævia illorum inciſione, exſtillans: qui poſtea calore ſolis in granula condenſatur, ulterius ſiccatur, & pro uſu medico aſſervatur, ſaporis ſubdulcis, quaſi mellei, non nihil tamen acris & nauſeoſi.

II.

Vtrum Manna haec ſit ros coeleſtis, ex alto ſuper arbores decidens, ut multi voluerunt, an vero potius ſuccus melleus certarum arborum certo tempore extillans, diu diſceptatum eſt inter Medicos & rerum naturalium contemplatores: a) ſed poſterior ſententia obtinuit apud pleroſque, poſtquam id tam evidentibus argumentis & experimentis probavit, cum *Altomarus*, tum *Pena* & *Lobelius*, itemque Monachi, qui in *Meſuen* commentati ſunt, b) nequicquam reclamantibus *Matthiolo* & *Caeſalpino* c): primo, quia Manna in Calabria tantum in fraxino & orno reperitur, & quotannis ex iisdem arboribus colligitur: ſi enim manna eſſet ros melleus, ex alto decidens, ſuper omnibus arboribus & plantis promiſcue reperiri deberet; quod tamen non obſervatur. Deinde quia ros

 aereus

a) Vtrinque adductae rationes & reſponſiones videri poſſunt apud Io, *Bauhinum* & *Deuſingium*.

b) Quibus accedit Th. *Bartholin.* teſtis autopta, Cent. I. *Epiſt.* 54. p, 231 & *Raius* Hiſt. Plant. p.1703.

c) Conf. *Raii* Hiſtor. Plantar. Tom. II. p. 1703.

aereus calore ſolis diſcutitur ac evaneſcit, manna autem indureſcit: quod etiam in aliis ſuccis inſpiſſatis contingit. Porro quia manna in foliis & ramis orni & fraxini reperitur, quamvis iſtae arbores ſtragulis aut linteis involvantur aut cooperiantur; denique quia rami fraxini & orni, debito tempore inciſi, ſtillant ſuccum, inſtar lachrymae, qui calore ſolis condenſatus atque ſiccatus mannae ſponte exſudatae in omnibus eſt ſimilis. De ſponte exſudante manna refert *Hermannus* a), quod arbores hae in Calabria diebus canicularibus ſucco luxurient, & ab huius copia fierent tubercula, quibus hiſceret cortex, ex quibus proflueret ſuccus hic viſcidus, ſubdulcis, qui a ſole condenſaretur, colligeretur & in clibano ulterius exſiccaretur. *Wedelius* quidem b) cum *Magneno* c) aliam de origine mannae habuit ſententiam, quando ſcripſit: *Manna non eſt lacryma arboris, ex qua colligitur, ſed mel arboreum concretum, ex iisdem principiis ac mel compoſitum, a coagulatione ſalina firmiorem conſiſtentiam eſt ſortita, de rore & arbore participans;* verum ob ante dictas rationes huic ſententiae ſubſcribere non poſſum.

III.

Alia vocatur *Manna folii*, ex foliorum poris exſudans, quae eſt puriſſima; alia dicitur *Manna maſtichina*, quae magis granulata exiſtit & ex ramorum inciſione exſtillare iudicatur; alia nominatur *Manna e trunco*, quae ex arborum truncis, vel ſponte vel facta ſau-

a) In Cynoſur. Mater. Med. p. 287.
b) In Amoen. Mat. Med. p. 246. plurimique veterum.
c) Lib. de Mann. cap. 12.

ſauciatione, inſtar gummi ceraſorum, profluit & in terram decidit, ac proinde impurior & arenoſa magis conſpicitur. Praeterea alia dicitur *ſpontanea*, quae ſponte effluit, alia autem *coacta*, poſt inciſionem effluens: quam Calabri propterea, *Sforzatellam*, teſte Raio, appellant, qui etiam indicat, non ex omni fraxino mannam colligi poſſe; quaedam enim ſteriles ſunt.

IV.

Ratione loci natalis, eſt vel orientalis, in Syria, Perſia & aliis locis vicinis proveniens; vel europaea, ex Gallia, a) Sicilia, potiſſimum vero ex Italia, & ſpeciatim ex Calabria ad nos delata: quae ultima vulgo in officinis proſtat, ac propterea plerumque in formulis medicis praeſcribitur *Manna Calabrina*. Eligenda autem haec eſt candida, granulata, pura & quae in ore facile liqueſcit, tanquam optima. Circa mannam vero Orientalem, quam utplurimum *Perſicam* appellant, notandum eſt, eam neque ex fraxino neque ormo colligi; verum, ut Leonhardus *Rauwolfius*, in itinere ſuo orientali, quod anno 1573 inſtituit, p. 94, notavit, ex frutice quodam ſpinoſo, cuius iconem etiam exhibet, quemque Arabes *Algul* & *Albagi* appellant, comparari. Et ne dubium alicui forte oriatur, quaſi *Rauwolfius* hanc rem non ſatis exploraſſet, inclytus *Tournefortius*, qui anno 1700, iuſſu Regis Galliarum, una cum Celeb. *Gundelsheimero*, Regis Pruſſiae quondam archiatro, iter per orientem inſtituit, deprehendit, *Rauwolfium* vera ſcripſiſſe, plantamque hanc non ſolum, modumque, quo & quando mannam

a) Quamvis raro, *Brianſonnenſis* dicta; vid. Ioan. Renod. diſpenſator.

nam ex ea in orientalibus regionibus colligunt, deſcribit a); verum etiam ex hac planta, quae flores fert papilionaceos, novum genus conſtituit, nomine *Alhagi*, floremque & fructum delineat, b) affirmando, incolas hac manna, pro utiliſſimo medicamento purgante, doſi ℥iij vel iv, infuſo ſennae ſolutarum, uti; ita ut nemini hac de re amplius ſit dubitandum, praeſertim cum iam olim Arabes, *Avicenna* & *Serapio* id affirmaverint: vidique etiam ramulum, cum huius plantae Alhagi, tum fraxini, ex qua manna calabrina colligitur, in ampliſſimo herbario vivo D. Praeſidis.

V.

Reperitur quidem etiam in variis Germaniae regionibus quandoque ſuccus ſeu ros melleus in foliis diverſarum arborum, ſaporis dulcis, nauſeoſi, d) qui omnino ex aere decidit; at pro vera manna accipi nequit. Idem ſentiendum de Manna *Hoeferi* e) quam ſupra folia boraginis ſe vidiſſe ſcribit noſtris in hortis: quia, ut ipſe addit, poſt ſolis exortum mox rurſus evaneſcit. Interdum etiam verno ac aeſtivo tempore aliquid, roris inſtar, in vegetabilia ex aere decidit, quod Germanis audit Honigthau vel Meelthau/ & frumentis, oleribus, atque arboribus nonnullis maxime inimicum exiſtit, ac praeſertim triticum, ſecale, piſa,

a) Voyage au levant. p. 123. Part. 1. edit. Amſtel.
b) Corollar. Inſtit. Rei herbar. p. 54.
c) *Deuſing.* de Manna, & Tournefort. *Voyage.*
d) Vid. in Thoner. Epiſt. XVI. Relatio de Manna in ſuperiori Szyria, quibusdam in montibus depluente, ſi aeſtus ſolito fervidior.
e) Hercul. Med. pag. m. 474.

piſa, linum, braſſicam, fructusque arborum corrumpit & perdit; coloris flavi, ſaporis & odoris ſubdulcis, nauſeubundi: quod ſi cum fructibus aut oleribus, praeſertim braſſica, intra corpus aſſumitur, tormina, diarrhoeam, imo quandoque dyſenteriam excitare creditur.

VI.

In ſacris literis legimus, Moſis tempore, cum Iſraëlitas ex Ægypto per deſerta deduceret, coelitus demiſſam eſſe certum cibi genus granulatum, quod etiam vocabant mannam: quae indies colligi debebat pro eſca Iſraëlitarum. Sed ſicut iſte cibus miraculo dabatur, ut tantus hominum numerus in deſerto aleretur, ita cum noſtra manna minime convenit: dum notum eſt, Iſraëlitarum mannam virtute alendi, non purgandi, fuiſſe praeditam, illamque altero die, excepto ſabbato, ſtatim in verminoſam abiiſſe putredinem; cum noſtra e contrario absque corruptione ad plures annos conſervari queat: affirmatque *Lemerius* a) *mannam aetate puchritudinem quidem, dum flava ſit, verum virtutem haud amittere;* licet *Pometus* b) & cum hoc *Valentini* c) aliique aliter ſentiant.

VII.

Non etiam pro manna noſtra haberi debet *ſemen graminis dactyloidis eſculenti*, d) quod reperitur atque colligitur in Boruſſia prope Dantiscum, vari-

B isque

a) Traité des Drogues ſimples. m.p.336.
b) Hiſtoire des Drogues ſimples p. 237.
c) Hiſtor. ſimplic. p. 262.
d) vid. *Matthiol.* in Dioſc. l.4. cap. 28. & Simon. Paulli Quadrip. Bot. p.m. 529.

isque in Poloniae regionibus, atque a nonnullis vocatur manna; quia id quoque pro ſuavi cibo & nutrimento, non pro purgante inſervit: mannaque officinarum in liquoribus calidis omnino diſſolvitur; haec vero, cocta licet, ad ſimilitudinem hordei excorticati aut oryzae ſe habet.

VIII.

Tempus, quo manna in arboribus reperitur, atque colligitur, duobus includi ſolet tribusve menſibus calidioribus, Iunio videlicet, Iulio, & Auguſto, quo tempore etiam apud nos gummata in arboribus reperiri atque reſinae exſtillare ſolent. Secundum *Mathiolum* quidem omnes veris, aeſtatis & autumni menſes pro colligenda manna apti iudicantur, quamdiu nempe ſuccus in arboribus turgeſcit. Aſt enim vero, quamvis concedi debeat, ſuccum arborum, qui per integrum hyemem in radicibus quaſi quievit, verno tempore iterum ab aëre commoveri, & in illarum ramos liberius propelli, fruticesque ac arbores, praevia inciſione, ſat copioſe fundere ſuccum, ſicut hoc ita in vite, betula & aliis obſervatur: omnino tamen, praeter tot doctorum obſervationes atque experientiam, iudicandum erit, vernali tempore ſuccum in fraxino & orno nondum ſatis eſſe coctum aut maturum, ut aptus ſit ad veram atque efficacem ſuppeditandam mannam, quae aeſtivis demum menſibus melius expectari poteſt.

IX.

Quod ad diei tempus attinet, quo manna colligitur, illud non fit mane, ante ſolis ortum, ut *Deuſingius* cum

cum *Mathiolo* aliisque perhibet; verum horis pomeridianis, ſole fervidiſſimo: quo rite exſiccetur. Et ſi nondum id ſatis factum eſt a ſole, in clibano ulterius exſiccatur, teſte *Raio* a) & *Hermanno.* b) Quam ob cauſſam etiam *humida aut pluvioſa tempeſtate colligi non poteſt;* quia ab aqua pluviae ſolvitur & depluit in terram: unde fit, ut pluvioſis aeſtatibus pauciſſima colligi poſſit, & propterea tunc cara fiat. c) Hinc etiam facile cognoſcitur, autumnale tempus non aptum eſſe pro colligenda manna: quoniam ob aëris nocturni frigiditatem ſuccus haud amplius ad frondes & folia ſatis propellitur, ſed potius recedit, quod ex caſu foliorum adparet; vel ob humiditatem non concreſcit.

X.

Arbores, quae ſuppeditant ſuum ſuccum pro colligenda manna europaea ſive calabrina ſuperius, iam ſunt nominatae, fraxinus ſcilicet & ornus: certum enim eſt, mannam in Calabria ſolum reperiri in fraxino & orno, quod teſtantur Donat. ab *Altomari* de different. & viribus mannae, Boccon. in den curieuſen Anmerck. *Raius*, *Hermannus* aliique; eandem vero ſuper aliis quoque arboribus reperiri, ſcribit *Bauhinus* in Pinac. p. 479. Ita etiam nonnulli affirmant, mannam in Gallia ex olea & larice; in Rhetia ex lino & iunipero; in Apennino ex quercu & ſalice colligi. Quoniam vero hoc recentiorum ſcriptorum experientia non confirmatum novi, & multi quemvis rorem in arboribus pro manna, qui tamen forte

a) Hiſt. Plantar. p. 1703.
b) Cynoſur. Mat. Med. p. 287.
c) Lemery Traité des drogues ſimples m. p. 336.

qualitates & effectus mannae calabrinae non obtinuit, habuiſſe videntur: Calabrina autem prae caeteris in officinis uſitata ſit, quae tantum in fraxino & orno reperitur, ut ſcriptores teſtantur; hinc pro vera origine & matre laudabilis mannae calabrinae ſolas dictas arbores agnoſcimus.

XI.

Qualitas, vires atque utilitas mannae non melius cognoſcentur, quam ex teſtimoniis praeſtantiſſimorum Medicorum, quorum ſententias & obſervationes, ex ſuis libris propterea huc transferemus, ut eo melius inde perſpici ac iudicari queat, quibus in affectibus, & qua ratione utiliter ad uſum vocari poſſit; quae enim ex guſtu, odore, tactuve virium hic petuntur ſigna, incerta, vana, imo nulla ſunt.

XII.

Interea tamen, antequam autorum obſervationes producamus, prius eius naturam adhuc paullo intimius inveſtigabo, ut ſic inde tanto melius iudicium ferri queat. Igitur prae omnibus obſervatu dignum eſt, *mannam inter atque mel & ſaccharum magnam eſſe partium atque principiorum convenientiam:* nam primo conveniunt in ſapore dulci, deinde omnes *in aqua facile ſolvuntur*, parum autem vel nihil in ſpiritu vini: manifeſto indicio, ſalia in iis, & praeſertim etiam in manna, praedominari particulis ſulphureis, ita, ut ex ſalinis particulis vis laxans potiſſimum derivanda videatur. Porro ſicuti manna *alvum ſolvit*, ita etiam mel, imo etiam ſaccharum largiori copia,

prae-

praeſertim vehiculo aqueo ſolutum, idem praeſtant: adeoque etiam cum fructu alvum laxandi cauſſa clyſteribus adduntur. Deinde quoque manna, ut ſaccharum *accendi poteſt*, flammamque concipit. Praeterea notum eſt, ex melle & aqua ope fermentationis parari liquidum vinoſum, inebrians, quod *hydromel* vulgo appellatur, ad vinum hiſpanicum, teſte *Lemerio*, a) ſapore, colore, aliisque qualitatibus valde accedens; ſimileque liquidum vinoſum eodem artificio etiam ex ſaccharo confici poſſe, nunc etiam vel in vulgus notum eſt, & a multis iam deſcriptum. Ex manna vero & aqua ſimili modo, diuturna fermentatione, liquorem vinoſum inebriantem, ex quo deinde etiam, ſicut ex vero vino, acetum, ſpiritus acidus, & ſpiritus vini ardens, qui inflammari aptus, produci poſſe, *Lemerius*, ni fallor, primus docuit, b) verum ſimul monet, hunc non eſſe aeque fortem, neque tam grati ſaporis, ac illum ex melle paratum, eumque *Mannam vinoſam* appellat.

XIII.

Iam vero mannae naturam, *examine chemico*, quod *Lemerius* inſtituit, uberius examinabo. Sumpſit ad experimentum ſuum pro Manna vinoſa conficienda mannae libras duas, & ex vinoſo liquido, fermentatione inde producto, ſpiritus vini ℥viii deſtillando obtinuit, & ex hoc ℥iß ſpiritus ardentis, qui incendi poterat: huncque ſpiritum pro egregio ſudorifero habet, ſi a ʒß ad ʒi aſſumatur. Lemerius reſiduum

a) Hiſt. de l' Academ. Royale Ann. 1707. p. 44. edit. Amſtel.

b) ibid. Ann. 1708. p. 68. videri etiam poteſt eius chemia, edit. noviſſima, ſub titulo, Manna vinoſa.

ſiduum illius vinoſi liquidi poſt deſtillationem ſervavit in loco calido per ſesquiannum, illudque tunc acidum deprehendit, & quod ad fundum vitri ſalis eſſentialis, ut vocant, mannae drachm. VII depoſuerit, qui albus erat, durus, fragilis, acicularum ſimilitudine, ſaporis acidi, ad ſubdulcem vergentis: qui ſal pondere ℨI ſumtus, leniter purgabat. Reliquum vero liquorem acidum eousque deſtillabat, ut in cucurbita nihil ſupereſſet, quam materia mellis conſiſtentia. *Lemerius* invenit hanc materiam pependiſſe ℥XX: ita ut a libris duabus mannae, ℥XII fuerit conſumtae, partim in ſpiritum ardentem inde productum, partim in liquorem illum acidum abſtractum. Hae viginti unciae materiae illius craſſae iterum, obſervatis ignis gradibus, tandemque fortiſſimo exercebantur: ſic ſpiritus ſurgebat rubicundus, fuſcus, empyreumaticus, ſaporis acris, cui guttulae nonnullae olei nigri immiſcebantur, & in retorta reſtabant unc. IV materiae inſtar carbonis rarefacti, levis & inſipidi. Vbi *Lemerius* ſimul monet, mel, quamvis puriſſimum, plus tamen terrae continere, quam mannam: dum mel poſt ſimilem tractationem relinquit ¼ partem carbonum a), manna vero, non niſi ⅛. Ceterum, quod notatu dignum, carbones mannae, ſicut carbones mellis, ebullitionem excitant ad calcis vivae ſimilitudinem, ſi aqua ipſis affundatur: atque etiam aliquid martis in eis reperiri, *Lemerius* affirmat. Inde concludit, ut reliqua corpora dulcia, ita & mannam ſuam perdere dulcedinem, ſimulac acidum ab oleo ipſorum ſeparatum eſt; nam a certa inti-

a) vid. Hiſt. Acad. Reg. 1706. p. 46.

intimaque combinatione acidi & olei ſive ſulphuris ſaporem dulcem oriri, iam alias ſatis compertum exploratumque eſſe exiſtimat.

XIV.

His expoſitis, progredior nunc *ad teſtimonia nonnulla auctorum de utilitate & praeſtantia mannae* proferenda: & primo quidem, *Caeſalpino* teſte, a) „*uſus mannae* eſt in tota Italia ad alvum leniendam diſſolutae iure aut ſero, pondere unc. ij aut iij; mitisſimum enim eſt medicamentum, ſolum tenues humores educens: (addit *Raius,* ubi haec verba adducit, b) *bilioſos & ſeroſos*) & paullo poſt *Caeſalpinus* ait: *Manna donum eſt coeleſte, & quaſi divinum nectar, malis mortalium a morte revocandis.* Porro *Matthiolus* affirmat, c) *mannam eſſe tutisſimum medicamentum, ubi ſeroſi humores & bilioſi ſunt expurgandi.* Deinde non ipſe ſolus, in„quit *Altomarus* l. c. ſed omnes ante me & iuxta me in „hac regione Medici hac manna bono ac felici ſucceſſu, „citra ullam noxam, uſi ſunt, praeſertim ad alvum mol„liendam. Lenit etiam thoracem & aſperam arteriam. „Caſp. *Hoffmannus,* d) apud Aegyptios, ait, manna hodie „adhibetur omnibus humoribus tenuibus. Et verum „eſſe, agnoverunt noſtri practici. Hoc inprimis ſcire „fas eſt illos, qui in calidioribus eam reformidant. Inte„rim verum eſt, quod *Meſue* ſcribit, in frigidioribus „tutiorem eſſe. Praecipit praeterea, ne cruda detur, ſed cocta, quia flatuoſum quid habeat: deinde, ut de- tur

a) Lib. de Plant. p. 44.
b) In Hiſtor. Plantar. vol II. p. 1704.
c) Comment. in Dioſcor. L. 1. m. p. 85.
d) Lib. de Medic. officinal. p. 42.

tur cum acribus, thymo, hyſſopo, ut actio fiat celerior. Ioan. *Schroederus*, a) Manna temperata eſt, ſcribit, ad caliditatem inclinans, guttur, aſperam arteriam, thoracemque leniens, alvum blande movens, bilem, ſeroſosque humores educens. Eadem de Manna praedicat Io. *Renodaeus*, b) ſequentia adhuc addens: *Praeſtantiſſimum naturae donum & mirae divinitatis plenum eſt Manna &c.* Io. Daniel *Horſtius* in Pharmacop. Cathol. L. VI. de re medica fol. CXI, praecedentium duorum ſententiam iisdem prorſus verbis repetit. „*Wedelius* de uſu mannae „haec habet: c) *prodeſt* laxandi virtute infantibus, niſi adſit diſpoſitio epileptica, ut & aliis, ubi dulcibus locus eſt; pituitam liquat & alvum blande divertit, demulcet acrimoniam, lenit & abſtergit, inprimis pectus & bronchia pulmonum: unde in tuſſi, raucedine & aliis aſperae arteriae vitiis prodeſt: convenit & in alvo adſtricta a ſiccitate. Celeber. etiam *Ettmullerus* d) ſequentia de manna profert: *eſt ele*„*gans* & temperatum laxativum, ſine impetu & gra„viorum ſymtomatum concurſu corpus blande pur„gans, ac proinde in promiſcuo eſt uſu pro tenellis „& adultis, gravidis & non gravidis, ac omnium „optime convenit pro laxatione mulierum praegnantium, licet etiam *febricula laborent*: quod ſimul teſtatur FORESTVS, e) qui mannam non ſolum pro gravidis, verum etiam in omnibus mulierum affectibus lau-

a) Pharmacop. Med. Chem.

b) Diſpenſator. Med. pag. m. 153.

c) Amoen. Mat. Med. l. c.

d) Comment. in Schroed. p. 154. mihi.

e) Lib. II. Obſ. 28.

laudat, multisque in locis potionem mannae clarificatæ contra quam plurimos humani corporis morbos commendat. Ita BARTHOLDVS a) cum multis aliis ante ipſum eam laudat ad evacuandam bilem. Interea tamen *Rolfincius* mannam plurimum prodeſſe in frigidis morbis, eamque pituitam cum ſeroſis humoribus blande ſubducere affirmat: b) quare etiam a *Wedelio* ad phlegmagoga potius, quam ad cholagoga refertur. c) REIMMANNVS in Hoffmanni gründl. Unterricht p. 82. ſequentia de uſu mannae tradit: Die Manna iſt in Form eines Trancks/ wo ſcharffe Feuchtigkeiten in dem Magen oder auf der Bruſt ſitzen/ mit Nutzen zu gebrauchen: nemlich im Huſten / allerhand ſcharffen ſaltzigen Flüſſen/Hypochondrie und dergleichen Kranckheiten / wann die Patienten ſüſſe Sachen vertragen können. Einen ſolchen Tranck/ darinnen 3 oder 4 Untzen Manna und halb ſo viel von der Caſſia iſt / muß man nicht auf einmahl hinter trincken/ ſondern nach und nach / und immer dazwiſchen den Hirſchhorn-Tranck oder Gerſten-Schleim gebrauchen / denn auf ſolche Weiſe wird die Schärffe gemildert/ und viel Unflath ohne alle Beſchwerlichkeit durch den Stuhlgang abgeführet. Es iſt auch nicht undienlich/ wenn man gereinigten Salpeter und tartarum ſolubilem, wie auch Citronenſchalen-Waſſer / oder Citronen-Eſſentz darzu thut. Ceterum brevitatis cauſſa iam praetermitto teſtimonia, quae ex *Avicenna*, *Meſue*, *Averroe*, *Serapione*, *Actuario*, Zacuto *Luſitano*, *Sennerto*, *Magnenc*, aliisque praeſtantiſſimis Medicis adduci poſſent.

a) In Operib. Med. p. 172. b) Lib. de Purgant.
c) De Facultat. Med. p. 143.

XV.

Non autem ſilentio praeterire decet, quod nonnulli Medici mannam *aliquando noxas inferre* ſcripſerint: ita enim Sylv. *Bocco* a) tradit, vetuſtam mannam graviſſima inducere tormina, imo hypercatharſin periculoſam; quam vero ſententiam merito *Lentilius* b) rationibus atque experientia improbat: idemque etiam *Lemerium* facere, iam ſupra (VI) monuimus. *Rolfincius* porro ait, mannam calidis temperamentis calidisque in morbis nocere ac in bilem verti; hinc etiam *Wedelius* docet c), illam non prodeſſe in febribus acutis & ardentibus, peripneumonia, pleuritide, variolis, morbillis, neque etiam ventriculo debili, nec in diabete. In cholera ſuſpectam eſſe mannam, quia tonum ventriculi reſolveret, & cum bile vitioſa efferveſceret, monet *Dolaeus* in Encyclop. Med. In *flatulentia* noxiam eſſe mannam, iſtamque ex huius uſu augeri, legimus apud *Nenterum*. d) Ita quoque mannam ſcorbuticis, hypochondriacis, verminantibus nunquam eſſe dandam, diverſi iubent Practici: dicentes, illos ex uſu mannae magnopere laedi & in multas moleſtias praecipitari. Quae quidem omnia de nonnullis concedi poſſunt: dum ſatis notum eſt, multos eiusmodi homines a dulcibus laedi, vel ea ſaltem non commode ferre; quoniam manna aliquid fermentativi continet, unde flatus excitari, & peccantes humores vitioſe commoveri queunt. Interea tamen haec de omnibus in univerſum vera non ſunt: nam plures dantur, qui

a) Obſervat. curioſar. ſecunda p. m. 32.

b) In Eteodr. p. 1275.

c) Amoen. Mat. Med. p. 247.

d) Fund. Med. Tom II. p. 106.

qui mannam optime ferunt, & in alvo ſicciori egregie inde ſolantur. Hinc medicus ſemper morbi genium ſive naturam, & deinde in quovis aegro probe obſervet, quid facile ferat, quid ferre recuſet: quia nonnulli ob idioſyncraſiam etiam a tutiſſimis & maxime innocentibus rebus, imo etiam ab ipſo vino laeduntur. Praeterea notum eſt, in variis ex illis morbis nulla prorſus purgantia conducere. Ceterum vis eius flatulenta corrigi poteſt aqua cinamoni aut Eſſ. cort. aurantiorum; tarda vero diagrydio, aut ſalibus.

XVI.

Quaeritur autem nunc, *unde virtus* illa *alvum laxans in manna dependeat aut deduci queat?* Generatim quidem, communi fere Medicorum ſuffragio, virtus purgans medicamentorum derivari ſolet a principio quodam acri, ſive hoc ſit mere ſalinum, ſive ſulphureo-ſalinum, ut hoc mediante, humores plus minus viſcidi, in primis viis, vel etiam aliis in partibus haerentes, incidantur & colliquèntur; fibrae autem ventriculi ac inteſtinorum ad ſui contractionem & humorum contentorum colliquefactorumque expulſionem irritentur. Nam in purgationis actu haec humorum in primis viis contentorum ſolutio, fuſio, colliquatio & excluſio non ſufficiunt: quoniam plerumque humores plures, ſeroſi ac bilioſi, ab aſſumtis purgantibus excernuntur, quam in inteſtinis ordinarie contineri ſolent: hinc neceſſum eſt, ut aliunde accerſantur & affluant, qui in purgatione ſaepe adeo copioſi eliminantur. Largum igitur humorum ſeroſorum ac bilioſorum affluxum praecipue dependere exiſtimo a vellicatione glandularum inte-

ſtinalium *Peyeri* & *Brunneri*, itemque ductus pancreatici & cholidochi : qua vellicatione humores non ſolum affluunt, verum etiam dictae partes frequentius contrahuntur & ad expreſſionem contentorum ſuccorum ſollicitantur. a) Illud vero ſupra dictum principium purgans acre nunc eſt vel mere fixum, virtutem ſuam purgantem, licet coctioni ſubiiciatur, integram conſervans ; vel etiam volatile, quod coctione perditur, & virtutem purgantem amittit. Concurrere autem in nonnullis purgantibus aliquid fermentativi, negari iure non poterit, ſi modo muſti aliorumque quorundam fructuum horaeorum vim purgandi perpendimus. Quapropter ſi nunc mannae principium purgans inquirere volumus, optime hoc deduci poſſe ex particulis ſalinis ac ſulphureis, quas larga copia ipſi ineſſe ſupra (th. XII) probavimus, exiſtimo, & quidem ad ignem aliquo modo volatilibus : quoniam manna coctioni diuturniori ſubiecta, virtutem purgantem amittit, atque deſtillationi commiſſa, aquam purgantem ſuppeditat. Ineſſe tamen ei quoque partes ad fermentandum aptas, ex iis, quae de Manna vinoſa dicta ſunt (XII), abunde conſtare poteſt: nam tota ipſius dulcis & quaſi mellea ſubſtantia ad fermentationem aptiſſima exiſtit.

XVII.

Modum operandi ſi ſpectamus, notum eſt, illam admodum debiliter purgare, ac proinde in magna copia, aut cum ſtimulo quodam eſſe exhibendam, alias

a) Conf. *Pechlinus* de purgantibus.

alias exigua vel nulla inſequitur operatio: quare *Fuchſius* eam, (quamvis male) e Medicina eliminare voluit. a) Eo ipſo enim, dum tam blande agit, tutiſſime omnium dari poteſt ſenibus, gravidis, pueris, infantibus, omnibusque debilibus, ubi alvus ſolvenda.

XVIII.

Quod ad Doſin attinet, exhiberi pro una vice ſolet manna adultis ab unc. j. ad jj. vel jjj & quidem potiſſimum in potione, id eſt in liquido quodam calido, cum vel ſine ſtimulo, ſoluta: nam in convenientis decocti, vel infuſi, vel aquae duplo ſolvitur, v.g. ad modum orientalium in infuſo ſennae, teſte *Tournefortio*: b) factaque colatura calide aut tepide bibitur: ſicut ex mox delineandis formulis uberius patebit. Pueris dari poteſt a dr. VI. ad unc. j; infantibus vero manna tabulata pulti immiſceri ſolet a dr. j. ad dr. jj. c)

XIX.

Ad praeſcribendi modum referri debet primo forma electuarii: ita enim *Lentilius* d) proponit electuarium mannatum ſeu pulticulam mannatam, infantibus *aſthmaticis* multo cum emolumento praebendum, ſequens.

 R.

a) vid. *Matthiolus* p. m. 86. b) Voyage au levant. p. 124.

c) Cum diſſertatio haec hucusque in typographia iam eſſet abſoluta, in manus meas incidit diſſertatio, ſub cel. *Hoffmanni* praeſidio de *Manna*, Halae, pridie Calend. April. huius anni evulgata: cuius aſpectu attonitus, omnem de Manna ſcribendi materiam mihi praereptam, me ab ipſo praeventum, meosque labores fruſtra in hoc argumentum impenſos eſſe, ſuſpicatus ſum. Verum, ea perlecta, inveni, non pauca a me congeſta eſſe, lectu forte non indigna, quae ab *Hoffmanno* praetermiſſa ſunt: ſicut collatio utriusque docebit. Quare noli mirari, quod inter ſcripta de manna, pag. 4 a me indicata, Hoffmannianae huius diſſertationis nulla fuerit facta mentio.

d) In Eteodr. p. 355.

R. mannae Calabr. depur. unc. ß. ſpermat. ceti albiſſ. dr. j. olei amygd. dulc. rec. unc. j. M. & praebeatur cochleatim talibus infantibus.

In *Iungken. Lex.* Pharm. producitur electuarium de manna Pharm. Nor. quod in tuſſi, raucedine & aliis pituitoſis pectoris affectibus pro infantibus, pueris & adultis, cochleatim datum, ſatis proficuum videtur, tam laxandi quam alterandi fine. Huc pertinet *Electuarium lenitivum ex tamarindis* Pharm. A.R. *ſeu de manna:* de quo in *Iungken.* Lex. ſcribitur, quod delicatis ac tenerae aetatis hominibus feliciter propinetur, facile aſſumatur, facilius retineatur & facillime operetur: doſ. unc. ß. ad unc. j. Quando igitur blande alvum evacuandi ſeu laxandi eſt animus, hoc medicamentum commode dari poterit, praecipue cum ſit accepti ſaporis & ſic ſine nauſea a plerisque aſſumi queat. In diſpenſatorio Brandenburgico m. p. 61, deſcribitur *Electuarium roſatum Meſues*, quod manna ingreditur, eiusdem cum his uſus.

XX.

Præſcribendi modus *in forma potionis* ita ſe habere debet, ut duplum circiter liquoris v. gr. aquae, Theae, Coffe, iuris pulli, ſeri lactis, decocti avenae, aquae mineralis &c. recipiatur ad ſolvendam mannam: ſicut ex ſequentibus formulis cognoſcetur.

Potio mannata *in pectoris pituitoſis affectibus.*

R. mannae calabr. puriſſ. unc jjj. decoct. flor. & fruct. ℥vi. F. ſolutio & colatura D. pro doſi.

Alia.

Alia.

R. ſiliquar. dulc. contuſ. ℥ß rad. liquir. a cortice liberat. dr. j. caricar. pingu. N. jjj.
bulliant cum aqua font. ad remanentiam unc. vj.
colaturæ calenti admiſce
mannæ calabr. puriſſ. ℥jjj.
Facta ſolutione, coletur pro doſi.

Alia.

R. aquæ deſtill. fœnic. Lohoch. ſan. a unc. jjß.
mannae calabr. unc. jjß.
Facta ſolutione & colatura, adde tartar. ſolub. vel arcan. duplic. ſcrup. j. M.

Potio *contra colicam* Riverii.

R. mann. calabr. puriſſ. unc. jß. ol. amygdal. dulc. rec. unc. jj. brodii gallinacei pinguis q. ſ. M. pro doſi: quæ, ut Autor affirmat, opem tulit, multis clyſteribus nihil iuvantibus: quamque propterea etiam *Hermannus* commendat. a)

Potio mannata *bilem evacuans*.

R. mannae Calabr. unc. ii. pulp. tamarind. unc. j. cremor. tartar. ſcrup. jj. ſeri lactis caprill. ℥v.
F. leni calore ſolutio, poſtea ſtatim calide coletur & capiatur.

Hancce formulam, a ſene quodam Medico præſcriptam, accepi per amicum, qui quovis trimeſtri iſta potione, optimo cum ſucceſſu, uſus eſt, putatque, ſe iſtius beneficio corpus ſuum ab omnibus bilioſis impuritatibus ſervaſſe liberum, ita ut iam ſenex integra

a) Cynoſur. Mat. Med. p. 287.

gra ſanitate atque egregia virium conſtantia gaudeat. Vtrum vero effectus huic potioni, an potius vitae ceteroquin ſatis bene peractæ, aut robori naturae ſit tribuendus, lectori diiudicandum relinquam.

Alia *potio gratiſſima bilem evacuans* ex communicatione D. Præſidis.

R. mann. calabr. ℥jß. Aq. cinamom. borr. ℥jjj. ⊖ ♀j. ʒß. ſucci citr. rec. ℥ß. ſirup. roſar. ſolut. ℥j. M. F. potio.

Huc etiam merito referenda eſt celebris & adeo uſitata *Potio purgans Sydenhami*, vere polychreſta, qua fere utitur, ubicunque purgatione opus eſt.

R. tamarindor. ℥ß. fol. ſenn. ʒii. rhei. ʒiß coq. ſ. q. aq. ad ℥iii. in colatur. diſſolv. mannae & ſirup. roſar. ſolut. ā ℥i. M. F. potio.

Potio laxativa *in Nephritide & calculo.*

R. mann. elect. unc. ij. cremor. tartar dr. ß. decoct. nephrit. Foreſt. unc. IV.

Mixta ſolvantur in cineribus calidis & calide hauriantur. Hanc potionem pro familiari evacuante in nephritide & calculo feliciter ſaepe propinavit Medicus per diuturnam praxin experientiſſimus.

Potio ex manna Sydenhami *in mictu cruento* ex calculo renum valde egregia.

Conſtat ex Mann. ℥iiß. in ſeri lact. ℔ij. ſolut. addito pauxillo ſucci limonum vel citri.

Vix dici poteſt, ait autor, quantum ab huius uſu levaminis, hoc in morbo, in ſe ipſo perceperit; in aquis vero mineralibus ſolutam, eam hic nocere affirmat. a)

Potio

a) vid. eius opuſcula, de Mictu cruento, mihi p. 701.

Potio Hoeferi pro Baroniſſa quadam ob catharrhum pectoris.

R. Mann. elect. ℥x cryſt. tart. ℈iiij. aq. veronic. q. ſ.

M. & clarifica, ne coaguletur amplius, duabus vicibus aſſumenda. a)

Potio ſolutiva *Muſitani.*

R. tartari alb. pulveriſ. dr. vj. aquæ borragin. vel alius ℔j.

bulliant ad medietatis conſumtionem, tunc F. colatura, cui per noctem infunde fol. Senn S. S. unc. ß. mane leviter ebulliant, F. colatura, in qua ſolve mann. Calabr. unc. IV. clarificetur cum albumine ovi & traiiciatur per manicam Hippocratis, ac pro lubitu adde parum aquæ flor. citri aut cinamomi. Hæc potio, inquit Autor, eſt Manna potabilis clarificata, quæ etiam frigide aſſumi poteſt, & ſi magis purgans deſideratur, infuſioni addatur rhabarbarum & agaricus.

XXI.

Producenda nunc adhuc erunt nonnulla, partim officinalia, partim alias deſcripta utilia medicamenta, quæ ex manna parantur, aut illam pro baſi agnoſcunt, ut ſunt

Confectio de Manna Meſue, quæ ab ipſo tanquam famoſum medicamentum multique uſus prædicatur, & a ROLFINCIO L. de Purgant. p. 262. h. m. traditur.

R. mannæ Calabr. elect. ſucci roſar. rubr. aa ℔. ß.

D F. ſo-

(a) vid. eius Medicationes familiares pag. mihi 777.

F. ſolutio & colatura leni igne redigatur ad conſiſtentiam tabulati: tunc inſperge diagrydii ſubt. pulv. unc. ß. maſtich. elect. pulv. unc. j.

M. F. Morſuli vel Rotulæ pond. dr. j. doſ. N. ij. vel iij.

Hac de confectione dicitur, quod ſit guſtu ſuavis, ac ſine moleſtia, blanda facilitate mirabilis operationis, hepatique æſtuanti conferat. In hac autem confectione bene eſt obſervandum, ut diagrydium exacte cum aliis permiſceatur & æqualiter diſtribuatur.

XXII.

Conſerva roſarum mannata ſolubilis non quidem in omnibus officinis pharmaceuticis reperitur, bonum tamen eſt remedium abſtergens: & quoniam in omni liquore ſolvitur, præ vulgari conſerva roſarum mannata rectiſſime eligitur, atque in pectoris affectibus aliisque malis, ſi blanda evacuatio convenire videtur, utiliter datur ab unc. ß. ad. unc. j. iß. vel ij. Paratur autem iſta conſerva ex mannæ puriſſimæ part. ij. & ſucci roſarum rubrarum recens expreſſi ac depurati parte una, quæ leni igne bulliente & deſpumando redigi debent ad debitam conſiſtentiam.

XXIII.

Manna in morſulis ſeu *tabulata*, vel manna in ſolido, eſt nihil aliud, quam manna ſolutione ac percolatione a ſordibus liberata & poſtea in tabellas ſeu morſulos redacta: quae, quando lubet, in conveniente decocto ſolvi poteſt, nec percolatione indiget, quo-

quoniam manna iam antea ab impuritatibus liberata eſt. Datur vero ad unc. ij. vel unc. iiß.

Manna tartariſata Schroederi, conſtat ex mannae tabulatae unc. j & cremoris tartari dr. j: quae portio in iuſculo aut quodam decocto ſolvi & pro una doſi capi poteſt. a)

XXIIII.

Sirupus de manna Ph. Nor., qui in *Horſtii* Pharm. Cathol. & in Iungken. Lex. Pharm. exhibetur, praeſcribi ſolet pro edulcorandis potionibus laxativis. Obſtetricibus quoque in frequenti eſt uſu pro laxandis infantibus, mox poſt nativitatem, ad expurgandum meconium: quod etiam non eſt contemnendum; quamvis pro hac intentione a multis Medicis eligatur ſyrupus de cichor. cum rhabarbaro. Datur autem iſte ſirupus parvis cochlearibus per intervalla aliquot vicibus, donec omne meconium expurgatum videtur.

Sirupus mannae Riverii, ſub nomine *Mannae liquidae* in Schroed. Pharm. productus, ſatis gratum atque bonum eſt medicamentum pro abſtergendis bilioſis ac pituitoſis humoribus: cuius parandi motus ita traditur:

R. Cremor. tartari dr. ij. mannae Calabr. unc. ij.
aquae fumar. unc. v.

ſolvantur leni igne & calide per linteum traiiciantur, clarificentur albumine ovi, & parum aquae cinamomi addatur: capiatur poſtea integrum vel dimidium.

 Alius

a) deſcripta in eius Pharmac. L. IV. p. m. 257.

Alius mannae liquidae deſcriptio videri poteſt in Frid. *Hoffmanni* Clave pharmaceutica p. 637: ubi etiam *Manna iulepata* reperitur.

XXV.

Iulepus diatartari, vel *ſirupus de manna Petri Caſtelli*, in D. *Woytii* Gazophylacio valde laudatur, quod blande & ſine torminibus operetur, ac *morbos uterinos & ſpleneticos feliciſſime curet.* Admodum enim proficuum eſſe remedium affirmat evacuans, in variis pectoris affectibus & ad abſtergendas primas vias a pituitoſis humoribus, praeſertim pro laxandis delicatis ac tenerioris texturae hominibus, ita, ut omnibus temperamentis, omni aetati & tempore, atque omnibus regionibus commendari queat: quam ob cauſſam integram illius deſcriptionem huc transferre placuit.

R. mannae Calabrin. ℔j. rad. zingib. albi, galangae
ā ℥iij. infuſion. roſar. ſolutiv. ℔iij.

diger. in B. M. per diem & noctem, poſtea leniter ebulliant ad ſolutionem mannae, hinc fiat colatura, cui adde

Sacchar. albiſſ. unc. viij. cremor. tartari unc. ß.

coqu. ad conſiſtentiam ſirupi, & refrigeratis omnibus admiſce

aquae cinamom. ſ. v. unc. j. olei deſt. aniſ. ſcrup. ß. M.

doſ. unicae tres, hora ante prandium vel coenam, per ſe, aut cum aqua cort. citri & roſarum vel ſimilis parum dilutæ.

XXVI.

XXVI.

Manna meteoriſata laxans in Iungken. Lex.Pharm. deſcripta, eſt *Aqua mannæ laxativa*, cum nitro liquefacto deſtillata, ſaporem amygdalarum amararum referens, ſed virtutis laxantis & ſanguinem temperantis: Doſ. cochl. j & ultra. Haec autem aqua non ſolum *in pectoris affectibus*, verum etiam in *ſcabie*, *arthritide* & aliis morbis, ubi ſerum acre vel viſcidum peccat, utiliter aliquot vicibus & diebus continuis uſurpari poteſt. Cognoſcimus etiam ex laxativa huius aquae virtute, in manna reconditum eſſe principium volatile purgans, alembicum tranſcendens, ſive illud ſit mere ſalinum, ſive potius, quod ex ſapore iudicare licet, ſulphureo-ſalinum.

XXVII.

Spiritus mannae & rore, cuius parandi modus quoque in *Iungken.* Lex. Pharm. P. 1. eſt propoſitus, laudatur, quod ſit *ad ſudorem eliciendum in febribus ardentibus inſignis effectus*, ad cochlear dimidium vel integrum propinatus. Ita etiam in *Schroederi* Pharm. de hoc ſpiritu ſcribitur, quod ſit inſigne ſudoriferum in febribus cum peſtilentialibus, tum communibus, ſudorem propellens admodum foetidum. *Quercetanus* hunc ſpiritum pro menſtruo commendat ad extrahendam tincturam auri & coralliorum. *Schroederus* vero in Pharm. ex *Beckeri* Hermete redivivo, adhuc ſequentia refert: „Diſſolvatur, ait, manna rore maiali & „tamdiu cohobetur, donec ſublimetur in caput alem„bici inſtar nivis. Hic mercurius, in ſpiritus fluidam „naturam redactus, *fit ſolutivum ſolis mineralis*, ſepoſita

 omni

omni vi corroſiva. De *ſpiritu vero mannae* per ſe ex cucurbita lento igne deſtillato affirmat, *ipſum ſudoriferum eſſe inſigne, in febribus quibuscunque*, doſ. ad cochl. j, eumque ſolvere ſulphur, unde *tinctura ſulphuris flava Helvici Dieterici*. *Ettmullerus* in Comment. in *Ludov.* ſcribit, ex manna, nunc intercedente putrefactione, nunc cum roris maialis digeſtione, *elici pro ſolvendis metallis ſpiritum polychreſtum*, Mercurium mannae *vocatum :* & in Comment. ad *Schroeder.* inquit : *ſpiritum mannae ſingulariſſimum eſſe menſtruum pro extrahendo ſulphure ſolari.* Item *rorem maialem cum manna deſtillatum, exhibere menſtruum, quod ſolvat gemmas atque metalla.* Quibus vero, tanquam nondum ſatis probatis, fidem vix habeo.

XXXVIII.

Ceterum licet ipſius mannae vires potiſſimum ſint purgantes, tamen ſimul ob blandam ſuam mucilaginem *humores acres temperandi vim obtinet :* hinc ſub debita doſi non ſolum plerumque ſine torminibus purgat, nullamque ſitim aut aeſtum, ut multa alia purgantia, excitat; verum hanc ipſam ob cauſſam in affectibus catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis, podagricis, ſpaſticis, hypochondriacis, melancholicis, colicis, pectoralibus, renalibus, praeſtantiſſimum purgans eſt remedium : imo, quod caput rei eſt, & cuius cauſſa praecipue hanc diſſertationem conſcribere conſtitui, eſt, ut, expoſita mannae origine, viribus & uſu hactenus perſpectis, nunc *ſecurum atque proficuum quoque eius uſum in variolis confluentibus, ad imminuendam & tollendam*

febrem

febrem maturationis tempore accedentem, & graviter affligentem, commendem, & ſimul demonſtrem, purgantia eiusmodi lenia in tali caſu optimam & fere ſolitariam afferre opem. Quamvis enim *Wedelius*, a) ut (xv) iam monuimus, de Manna dicat, illam non prodeſſe in variolis: intelligendum tamen hoc eſt de eo, quod vulgo hoc in morbo fieri debet. Ita enim non prodeſt neque uſurpanda eſt in principio, neque in progreſſu variolarum, tempore eruptionis: quia tunc materia variolarum ſecernitur & ad corporis peripheriam expellitur, ne hic ſalutaris naturae motus impediatur. Neque tandem promiſcue in uſum vocanda eſt in quibusvis variolis, ſive ſint diſtinctae ſive confluentes, in ſtatu, aut maturationis tempore; ſed tunc demum, quando tempore maturationis nova febris, ſicut in confluentibus plerumque fieri ſolet, ingraveſcit, & periculum, imo interitum vitae minatur.

XXIX.

Sententia igitur mea, quam hic loci nunc commendare atque defendere ſuſcipio, eſt, *Mannam aut alia laxantia lenia ſalutariter exhiberi in variolis, praecipue confluentibus, tempore maturationis, quando febris cum aliis pravis ſymptomatibus de novo increſcit ſive exaſperatur;* vel, ut clarius me explicem, *blanda laxantia inter quae mannam primarium obtinere locum exiſtimo, in praedicto caſu maximam & unicam fere praeſtare opem, ad vincendam novam febrem & ad illam comitantia ſymptomata mitiganda atque tollenda.*

XXX.

a) Amoen. Mat. Med. l. c.

XXX.

Praxin clinicam exercentibus notum eſt, alvum in variolis utplurimum toto eruptionis tempore eſſe obſtructam, & maturationis tempore, circa decimum vel undecimum diem, aeſtum febrilem iterum augeri & novam quaſi febrem accedere: quae in diſcretis quidem facile compeſcitur & ſaepe ſponte evaneſcit; in confluentibus autem maiores creat moleſtias & ſaepe exitioſa exiſtit. Confluentes enim variolae haud recte elevantur & materia variolarum non ſatis eliminatur; ſed multum illius ſanguini immixtum manet: hinc maturationis tempore, ultimo quaſi conatu naturae, illa materia venenata in ſanguine relicta, exitum per cutem non inveniens, denuo commovetur, atque ſic nova febris exſurgit, intumeſcentia faciei & manuum concidit, anxietates praecordiorum cum difficultate reſpirandi ac deglutiendi augentur, inſignis inquietudo corporis adeſt, lingua arida conſpicitur, ptyaliſmus ceſſat, ardor in toto corpore & pulſus debilis percipitur, urina fere naturalis apparet, & alvus plerumque pertinaciter clauſa manet. Atque haec omnia proveniunt partim a materia illa variolarum venenata in maſſa ſanguinea relicta, & in varias partes depoſita, inflammationem internarum partium, ac ſenſim necroſin induente; partim ab humoribus corruptis in inteſtinis haerentibus.

XXXI.

Sicut igitur variolae & praeſertim confluentes exoriuntur a materia quadam heterogenea, quodam

modo

modo venenata maſſam ſanguineam inſigniter turbante, ſive in illa iam praeexiſtat, & occaſione quadam commoveatur, ſive aliunde iſti inferatur: ita illarum curatio conſiſtit in debita ac ſufficiente huius materiae excretione, quae plerumque & quidem ordinarie per cutem abſolvitur: & ſi haec excretio bene peragitur, nullis fere indiget medicamentis, expulſionem adiuvantibus. Si vero ea excretio non rite procedit, ſed materia variolarum ex parte in maſſa ſanguinea relinquitur, & in varias interiores corporis partes deponitur, quod plerumque in confluentibus contingit, nihil aliud poterit exſpectari, quam novae febris acceſſus, ſymptomatum augmentum, & ſaepe cita mors.

XXXII.

Quando nunc in variolis confluentibus, maturationis tempore, febris ea nova excitatur & ſymptomata augentur, indicat hoc haud obſcure, in maſſa ſanguinea relictam eſſe partem materiae illius noxiæ: quae vel ob nimiam copiam, vel ob pravam qualitatem, vel ob debilitatem naturae, non potuit expelli. Hinc omni prudentia atque labore opus eſt, ut iſta materia, tanquam cauſſa peſſimae huius febris, graviumque ſymptomatum evacuetur, atque ſic, ſublata cauſſa, effectus tollatur. Hæc itaque evacuatio inſtituenda erit vel per cutem, vel per alvum; illa videtur naturae variolarum convenientior, ordinaria, & ab omnibus fere hactenus Medicis commendata; hæc autem extraordinaria, nova, & a paucis adhuc laudata.

XXXIII.

Ordinaria enim & communis medendi methodus in cura variolarum conſiſtit in materiae febrilis expulſione per cutem: quam ipſa variolarum natura monſtrat; dum in variolis ſemper videmus, materiam peccantem deferri ac propelli ad peripheriam corporis: & ſi haec expulſio bene procedit, variolas optime curari. Hanc itaque expulſionem in variolis confluentibus quoque per bezoardica promovere plurimi hucusque laborarunt; ſed infelici ſaepe cum ſucceſſu. Siquidem primis morbi diebus materia peccans, & tumultum illum febrilem in corpore excitans, rite praeparatur, & ſanguinis effrenis motus blande compeſcitur, expulſio poſtea, mediantibus lenibus diaphoreticis, tuto promoveri poteſt. Si autem, debita praeparatione neglecta, haec expulſio & febris tantum intenditur, atque illum in finem expellentia & praeſertim fortiora bezoardica adhibentur, plerumque peſſime ſuccedit curatio: unde etiam procul dubio incidit, quod tot homines ex confluentibus variolis moriantur; dum tam perverſa ac genio morbi haud adaequata methodo curantur. Ab prava igitur illa methodo in cura variolarum confluentium omnino eſt deſiſtendum. Maxime autem hoc attendi meretur, quando in confluentibus variolis, maturationis tempore, nova quaſi febris accedit, aut per integrum morbi curſum perſeverans, vehementior fit, multumque augetur: quod, uti dictum, a materia variolarum in maſſa ſanguinea relicta, aut in venas retrocedente, dependere exiſtimo, quae ad internas partes delata,

ſtagnat,

ſtagnat, ſpasmos, inflammationes & ſexcentas alias moleſtias inducit: quae per alvi obſtructionem, dum pars noxiae materiae ad inteſtina deponitur, multum augentur. Alvi quidem retentio pro primaria cauſſa novae huius febris haberi iure nequit: ſi tamen diutius iuſto perſeverat, & materia putrida in inteſtinis coacervatur, multum ad febris augmentum contribuit.

XXXIV.

Manifeſtum itaque eſt, febrem hanc, quae circa decimum vel undecimum diem, maturatione puſtularum adhuc vigente, aut concidente partium tumore, incidit, provenire partim a materia variolarum non recte excreta, ſed in ſanguine relicta; partim ab eadem materia, concidentibus variolis & partium tumore, in venas recepta, & ad interiora ac praeſertim etiam ad inteſtina delata. Si itaque alvus tunc eſt obſtructa, natura minus a noxio ſe liberare poteſt; ſed e contrario longe maior inflammatio dictarum partium eſt metuenda. Rebus igitur ſic conſtitutis, ac recte penſitatis, facile iudicatur, alexipharmaca, bezoardica, expellentia, cardiaca, licet fortiſſima, in tali caſu fruſtra, imo temere adhiberi; cum impoſſibile ſit, dictam in inteſtina depoſitam materiam ad corporis peripheriam iterum revocare & per cutem expellere. Quod experientia etiam teſtatur, quae docet, per eiusmodi medicamenta, intempeſtive tunc data, ſuperius nominata ſymptomata augeri: dum putridos humores commovent, inflammationes, aeſtum & anxietates augent, mortemque ipſam acceſſunt.

Fruſtra igitur & cum manifeſto aegrotantium periculo in tali variolarum confluentium ſtatu, materiae variolarum per cutem evacuatio, per expellentia medicamenta tentatur: dum demonſtratum eſt, materiam peccantem, alibi iam depoſitam, ad cutem denuo propelli non poſſe; neque etiam ipſam cutem amplius eſſe aptam, ut illam transmittere queat.

XXXV.

Extraordinaria igitur, *nova*, & haud vulgaris in variolis confluentibus inſtituenda *curatio*, *conſiſtit in evacuatione* materiae putridae, ad inteſtina depoſitae, *per alvum:* ut ſic totum corpus a noxia putredine liberetur. Quae evacuatio praeſertim inſtitui debet, quando tempore maturationis nihil amplius per cutem conſtipatam excerni poteſt; febris autem cum aliis ſymptomatibus magnopere increſcit. De tali evacuatione iam olim locutus eſt *Fernelius:* a) dum ait: *Febris putrida una alvi ſolutione tuto ac perfecte iudicatur; ea quippe ſola poteſt putridam febris materiam, perfecta iam coctione praeparatam, prorſus excludere, atque viſcera & maiores venas, ſordida illuvie obſeſſas, citra virium & naturae iacturam atque offenſionem expedire.* Quamvis autem celebris hic ſui temporis Medicus de febribus putridis in univerſum loquatur, bene tamen illud effatum ſpeciatim ad febres putridas variolarum confluentium adplicari poteſt. Nullum enim eſt dubium, hanc febrem a putredinoſis humoribus excitari; neque etiam negari poteſt, eiusmodi

a) In Method. medendi.

modi humores, durante morbo hoc maligno, in inteſtinis colligi: ſicut ex inſigni foetore, qui integrum conclave implet, quando alvus talium aegrorum ſolvitur, iudicari licet. Sana igitur ratio dictitat, illos humores per alvum eſſe evacuandos; quoniam nulla commodior datur via: & niſi hoc fiat, humores maiorem inducere corruptionem, remeare in vaſa ſanguifera, vehementioraque excitare ſymptomata. Blandis vero atque ſecuris laxantibus tunc temporis eſt utendum, quibus feces putridae, & partes corruptae, ex ſanguine ad inteſtina depoſitae, leni vellicatione ſive ſtimulo eliminentur, eliciantur: ut ſic tota maſſa ſanguinea ab illis liberetur; quo facto, febris cum ſymptomatibus mitigatur & ſenſim profligitur. Hanc vero ſententiam frequens confirmavit experientia, quam praeter alios, praxin clinicam rite exercentes, ſe habuiſſe clariſſ. D. Spiesius, Therap. in alma hac Iulia P.P. celeberrimus, in collegio privatiſſimo mihi teſtatus eſt.

XXXVI.

Neque deſunt alii ſat celebres Medici, non ſolum praxin docentes, verum etiam per multos annos eandem facientes, (licet illorum numerus adhuc ſit valde exiguus) qui in indicato variolarum ſtatu laxantia commendant, illaque fere ſola requiri & ſufficere ad expugnandam periculoſam illam variolarum confluentium febrem, rationibus ac experientia demonſtrant: ut ſine illorum uſu felix curatio vix exſpectari queat. Illorum igitur teſtimonia breviter in ſequentibus theſibus recenſere placet

XXXVII.

In Ephemerid. Germ. Centur. VII & VIII, p. 353, reperimus obſervationem D. Chriſt. de *Helwich*, *de tutiſſima febris, variolas confluentes excipientis, curatione per blanda evacuantia.* Licet vero nullam mannæ expreſſe faciat mentionem, egregie tamen haec obſervatio meae inſervit intentioni. Si enim aliis laxantibus locus eſt his in variolis, mannae etiam utique erit concedendus. Verba vero autoris ita ſe habent: „*quibus ante* perfectam maturationem facies detume-„ſcit ac ptyaliſmus ceſſat, febris exardeſcit vehemens, praeſentiſſimum imminet ſuffocationis periculum, ſumma adeſt deglutitionis difficultas, ac incredibilis inquietudo, inexplicabilis anxietas, tremores, aliaque horrenda ſymptomata. In his anguſtiis aut nullum aut nimis tardum ab alexipharmacis & cardiacis ſperari *poteſt auxilium*: & porro addit: *docuit me* „*quotidiana* & frequens eiusmodi aegrotorum tracta-„tio, quod decimo die ſine praemiſſa venaeſectione, (quam *Sydenham* praemittendam eſſe ſuadet) lenientia non tantum ſine omni noxa, ſed etiam praeſenti cum utilitate, disparente iuſto citius faciei tumore, ac ceſſante ſalivatione, exhibeantur: ac certe actum eſt de aegrotis, niſi purulenta materia blandiſſime evacuetur; faeces enim in colo diutius torpentes, acriores redduntur, & inteſtinorum membranas pungendo ac vellicando, miſeros reddunt inquietiores. Decoctum florum & fructuum, cum ſyrupo violarum ſolutivo, ſingulis diebus propinavi, & optima fide affirmare poſſum, hinc ſecutam ſymptomatum mitiga-

tio-

tionem: quae me audaciorem fecit, ut huic decocto aquam laxativam Viennenſium a) addere minime dubitaverim. Hac via aliquando per integrum octiduum inceſſi, & matutino tempore omni bihorio aliquot cochlearia potionis eiusmodi lenientis exhibui; circa quartam vero pomeridianam & octavam veſpertinam alexipharmaca blandiora ſine anodynis adminiſtravi. Hac medendi methodo aliquos, in ſummo vitae periculo conſtitutos, praeter omnium ſpem fuiſſe *ſervatos certum eſt*.„ Ex his nunc cognoſci poterit, quantum utilitatis atque auxilii ex laxantium & blande ſubducentium remediorum uſu, in variolis confluentibus, maturationis tempore, ad infrigendam hanc febrem & mitiganda ſymptomata exſpectari queat. Quod itaque *D. de Helwich* tribuit dictis lenientibus, illud quam maxime hic ſperandum eſt a Manna: utpote quae acrimoniam humorum egregrie demulcet, aſperam arteriam atque pulmones ſolatur, & blande abſtergendo noxios humores e glandulis inteſtinorum elicit, & cum faecibus contentis ſine moleſtia evacuat.

XXXIIX.

Celebris etiam SYDENHAMVS, quo vix quisquam melius de variolis ſcripſit, affirmat, longe minus aegro periculum eſſe in hoc morbo ab aſſumto catharctico lenienti, quam ab alvinarum fecum retentione: imo & feliciter hauſtum laxantem ſe propinaſſe narrat; b) verum vult, ut ſanguis prius minuatur. IOHANNES vero FREIND, quoque Anglus, ante aliquot

a) Cuius baſis manna eſt.

b) In Schedula monitoria.

quot annos publici iuris fecit libellum, cui titulus: *Commentarii novem de Febribus*: a) in cuius libelli comment. VII p. 148, agitur de purgatione, quam vim habeat in febre putrida, quae variolis confluentibus ſupervenit: docteque ibi demonſtratur, ac per hiſtorias probatur, quam opportune febri huic putridae occurrant purgantia; ubi praeſertim legi merentur, quae Autor l. c. usque ad p. 193 conſignavit: ex quibus cognoſcetur, laxantia optimo cum ſucceſſu his in caſibus ſemper fuiſſe adhibita, ac inter illa praeſertim Electuarium lenitivum, quod mannam recipit, egregio cum effectu eſſe uſurpatum.

XXXIX.

In praedicto etiam tractatu reperiuntur quaedam epiſtolae, a doctis viris hac de re ſcriptae: ex quibus breviter extrahere lubet, quae meae intentioni inſerviunt. Sic admodum notabilis eſt hiſtoria, quam D. Rich. Frewin p. 174 & ſeqq. de adoleſcente XIII annos nato, variolis confluentibus laborante, his verbis recenſet. „Nono die a variolarum eruptione ſubſedit „faciei intumeſcentia, puſtulae cruſta prorſus obductae „erant, & aeger extra periculum collocatus videbatur; „ſed ex improviſo ingruebant tremores & ſpasmi per „omnes fere artus, praecipue vero convellebantur „cervicis & capitis muſculi, ſuppreſſus fuit ptyali„ſmus, detumuerunt manus, vehemens ſupervenit febris, cum pulſu inaequali & delirio frequen„ter recurrente. Iniectum igitur eſt enema, deinde „veſperi data eſt potio lenitiva, quae proximo mane reite-

a) Amſtelodami 8. 1717.

„reiterata, quibus aegrotus quatuor largas & foeten-„tes ſedes excrevit, neque ullam poſtea perſenſit vel „febris vel ſpasmorum acceſſionem. Ex his itaque „ſatis intelligi poteſt, non modo quam efficax meden-„di methodus in huiusmodi febre ſit catharſis; verum „etiam quam parum valeat, neglecta catharſi, quod-„vis aliud remedii genus.

XL.

In eodem hoc D. Freindii libello p. 178 ſeq. a D. Levett producitur hiſtoria de foemina, triginta vel quadraginta annos nata, variolis maxime confluentibus laborante: ubi cum febrilis aeſtuatio undecimo die maximas inquietudines crearet, & aegrota, decreſcente pulſu, & lingua arida, nigreſcente, nullas deiectiones haberet, iniectum eſſe, ait, enema ex decocto communi pro clyſteribus, oleo lini & ſyrupo de ſpina cervina: quo bis vel ter maxima foetidae & purulentae materiae quantitas excernebatur. Exinde durus molleſcebat pulſus, lingua arida madeſcebat, febrilisque aeſtus mitior reddebatur; die autem decimo tertio, quoniam febris adhuc perſiſtebat, ab eaque periculum imminebat, ſequens catharcticum eſt exhibitum.

R. mannae optimae unc. j. diſſolve in aquae lactis alexiter. unc. iij. colaturae adde pulp. caſſiae rec. extr. dr. ij. aquae poeon. comp. unc. ß. M.

quae potio ad tres vel quatuor vices placide exoneravit inteſtina: poſtea indies decreſcens febris, brevi tota evanuit, & poſt tres vel quatuor potiones purgantes, debito temporis intervallo exhibitas, tuta evaſit aegra & incolumis. Idem D. Levett aliam de

 iuve-

iuvene addit hiſtoriam, quod in variolis maxime malignis, die decimo tertio, cum ardor intenſiſſimus, ſpirandi difficultas & intercurrens delirium adeſſet, lene catharcticum exhibuerit: quo altera vice repetito, aegrotus periculoſiſſimis anguſtiis ereptus plene convaluit: atque hanc medendi methodum, inquit, quae catharcticis potiſſimum nititur, uti in compluribus tentavi, ita rariſſime ſuo deſtitutam eſſe ſucceſſu expertus ſum.

XLI.

D. Salvsbvry Cade bene etiam de catharſi in variolis confluentibus diſſerit, quando in ſua epiſtola ad D. Freind data, & huius Commentariis p. 181 ſq. inſerta, ſcribit: *in Variolis confluentibus*, ſi ptyaliſmo „deſinente & tumore ſubſidente, febris gravior aſſidue „inhaeret, & ſymptomata, utpote anheloſa reſpiratio, „vigiliae, anxietates, indeſinenter urgent, neceſſe habet „Medicus, materiam morbidam, quæ per puſtulas in-„duratas, & cruſta obductas, amplius tranſire nequit, „*catharſi ſaepius repetita* evacuare: hac enim neglecta, „ſemper evenit, ut vel memorata ſymptomata indies „augeantur & lethalia evadant; vel humor putridus in „pulmonibus extravaſetur, eorumque veſiculas cor-„rumpat, unde aegrotus brevi moritur tabidus. Com-„pertum quidem habeo, nonnullos Medicos catharſin „in variolis vehementer improbaſſe: eſſentiam enim „huius morbi in malignitate ponunt, ideoque purgan-„tia culpant. Verum haec hypotheſis *fallaci nititur fundamento*, (quod dictus Autor gravibus probat rati-„onibus) & tandem experientia munitus in fine ſuae epiſtolae

„epiſtolae p.186 ſcribit: in *variolis confluentibus ad aegro-*
„tantis ſalutem V.S.& catharſis utplurimum requiruntur:
„horum uſum ratio ſuadet, cui ſuffragatur experientia;
„plures enim hac methodo orci faucibus ereptos novi.

XLII.

Satis quidem allegatis exemplis atque teſtimoniis poſſemus eſſe contenti: aſt non poſſum, quin ex *Freindii* commentariis adhuc addam teſtimonium celeberrimi D. MEAD, qui in prolixa epiſtola doctiſſime de purgatione in variolis confluentibus inſtituenda ita diſſerit. Adoleſcenti, annorum fere ſedecim, in-
„quit, p. 190, nono aegritudinis die intumuerunt admo-
„dum caput & manus; acceſſit vero febris cum ma-
„gno praecordiorum aeſtu, ſpiritu difficili & delirio.
„Miſſo e vena bracchii ad ℥xvi ſanguine, dedi pilular.
„Ruff. dr. ß. & cum nondum reſponderet alvus, ela-
„pſis decem horis, electuar. lenitiv. dr. vi largiter purga-
„tus, hauſtum ſumpſit anodynum: hinc febris adeo re-
„miſit ac ſymptomata levata ſunt, ut praeter ſpem bre-
„vi convaluerit. Neque ab hac medicina, *pergit porro*, abſtinendum eſt etiamſi in puſtularum intervallis crebra exanthemata ſeu maculae erumpant, & malignitatis nomine terreant: haec enim materiae morbidae copiam & lentorem indicant, quo magis neceſſarium eſt, interpoſito tempore, alvum ſaepius ducere. Mihi, inquit, in fine epiſtolae, ita feliciter ceſſit haec medendi via, ut humani generis intereſſe putem, ut illa publici iuris fiat. Ita etiam poſt dictam epiſtolam recenſetur hiſtoria, quam D. *Gibbons* cum D. *Freind* communicavit: ex qua cognoſcimus, per evacuantia

a decimo morbi die usque ad decimum quintum, per ſex dies continuos exhibita, aegrotum variolis confluentibus graviſſime laborantem, plene eſſe liberatum.

XLIII.

Sed ne in recenſendis Anglorum aliorumque ſententiis, de purgatione in variolis confluentibus iuſto tempore inſtituenda, nimis ſim prolixus, ad finem properare licebit: poſtquam rationibus ac experientia ſatis probatum eſt, blandam alvi evacuationem non ſolum eſſe valde proficuam; verum unice ſalutarem: adeoque ſumme neceſſariam. Vt autem haec per ſecura ac blanda inſtituatur medicamenta, maxime danda eſt opera. Prae aliis igitur hunc in finem laudem mereri ac tuto exhiberi puto Mannam, ſive iſta in aqua lactis alexiteria ſolvatur, qualis formula ſupra (xxxx) eſt delineata, ſive in electuario lenitivo detur; ſive tandem cum decocto florum & fructuum, aut decocto avenae, aut ipſo ſero lactis propinetur, ac per intervalla repetatur: id quod ego feliciter peractum eſſe ex relatione laudatorum Practicorum, omni fide digniſſimorum ſcio; ſive etiam cum dedecocto ſenn. Gereon. exhibeatur, quod D. *Freind* in comm. p. 199 fecit; ut coronidis loco cum veritate pronunciare queam: *Mannam eſſe ſecuriſſimum remedium pro removendis omnibus moleſtiis, quae in variolis confluentibus & malignis, facta iam & adhuc vigente puſtularum maturatione, ex aucta febre proficiſci ſolent.*

S. D. G.

Arn